



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd desponsatam puellam alij viro non sit licitum dare, monasterium  
autem licet eligere, si vult. xix.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

nere voluerint, sacerdotali sententia à Christianorū cœ-  
tā habeantur extorres, vt nec locus eis vllus sit commu-  
nis. Viduas quoque vniuersalis iam dudum, statuit syno-  
dus, professionis, vel habitus sui desertrices, vt superiori  
sententia condemnentur.

*Quo tempore sacrum velamen sacris virginibus  
imponi debeat.* Cap. XV.

**D**euotis quoque virginibus, nisi aut in Epiphania, aut *Ex decr.*  
in albis Paschalibus, aut in apostolorum natali- *Gelasii*  
ciis, sacrum minimè velamen imponatur, & nō ante XXV. *papæ, ca.*  
annos, nisi fortè, sicut de baptisate dictum est. graui lā- *12.*  
guore correptis, ne si hoc munere de seculo exeant, im-  
plorantibus non negetur.

*De eadem re.* Cap. XVI.

**I**tem placuit, vt quicumque episcoporum necessitate *Ex cōcil.*  
periclitātis pudicitie virginis, quum vel petitor po- *Mileuit.*  
tens, vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquando *cap. 26.*  
mortis periculoso scrupulo cōpuncta fuerit, ne non velata  
moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum  
curam pertinet, velauerit virginem, seu velauit intra vige-  
simum quintum annum ætatis, non ei obsit conciliū, quod  
de isto numero annorum constitutum est.

*De sanctimonialibus quæ alias velare præsumunt.*

Caput XVII.

**N**ihilominus etiam in quibusdam locis inolitum inue- *Ex decr.*  
nimus vsu stultitie plenū, & Ecclesiasticæ autho- *entychia.*  
ritati contrarium, eò quòd videlicet nonnullæ abbatissæ, *papæ, ca.*  
& aliquæ ex sanctimonialibus viduis, & puellis virgini- *13.*  
bus contra fas velum imponere præsumant. Et ideo non-  
nullæ iniuste velatæ, putant se liberius suis carnalibus de-  
sideriis posse inseruire, & suas voluntates explere. Qua-  
propter statuimus, vt si abbatissa, aut quælibet sanctimo-  
nalis post hanc definitionem in tantam audaciam pro-  
ruperit, vt aut viduam, aut puellam virginem velare præ-  
sumpserit, iudicio canonico vsque ad satisfactionem sub-  
datur.

*De virginibus, qua ætate velari debeant.*

Caput XVIII.

**V**T virgines non velentur ante XXV. annos ætatis, *Ex decr.*  
nisi fortè necessitate periclitantis pudicitie virgini- *Py papæ.*

lis. Et non sunt consecrandæ alio tempore, nisi in Epiphania, & albis Paschalibus, & in apostolorum natalitiis, nisi causa mortis urgente.

*Quod de sponsatam puellam alij viro non sit licitum dare, monasterium autem licet eligere si vult. Ca. XIX.*

*Ex decr. Eusebii papæ, ca. 10.* **D**Esponsatam puellam non licet parentibus dare alij viro, tamen monasterium licet eligere, si voluerit.

*Vt aliquis incognitus, non citò in monasterio monachorum recipiatur. Cap. XX.*

*Ex cõcil. Toletan. cap. 5.* **S**I aliquis incognitus monasteriũ ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei nõ præstetur. Et si intra tres annos, aut seruus, aut libertus, vel colonus quaeratur à domino suo, reddatur ei cum omnibus quæ attulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requisitus non fuerit, postea quaeri non potest, nisi sit tam longè quòd inueniri non possit, sed tantum ea quæ in monasterium adduxit, dominus serui recipiat.

*De clericis qui monachorum propositum appetunt. Caput XXI.*

*Ex eodẽ, cap. 50.* **C**Lerici qui monachorum propositum appetunt, & meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.

*De virginibus sacris, quæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium ire disposuerint.*

*Caput XXII.*

*Ex cõcil. Triburi. cap. 11.* **V**irgines sacrae, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque commanere decreuerint, synodus cõcedit. Si verò fuga disciplinae alium locum quaesierint, perire cogantur.

*Quo estitu virgines ad consecrationem venire debeant. Cap. XXIII.*

*Ex cõcil. Carthagi. ca. 11.* **S**anctimonialis virgo, quum ad consecrationem suo episcopo offeratur, in talibus vestibus applicetur, quibus semper vsura est, professioni & sanctimoniali aptis.